

hæc habet a nobis recitata Tom. 2. Biblioth. Orient. p. 326. Quoniam vero Orthodoxi Antislites ( sic Monophylitas Barbraeus Jacobita appellat ) qui in omnibus Romanæ dittonis urbibus frequentes fuerant , ad paucos jam redacti erant : alii enim obierant , ut Thomas Dara , Joannes Tella , Antoninus Alepi , Sergius Sura , Petrus Rhesna , Thomas Germanicia , Thomas alter Damasci , & Severus Patriarcha : alii vero Sectæ Diophysitarum se subdiderant , ut Philoxenus minor , nepos ex sore Philoxeni Mabugensis . . . . pauci denique in proposito suo constantes , Constantinopoli commorabantur , & Imperatorem quidem ipsius insensum delinire , Imperatricem vero etiam ad tuendam fidelium causam cohortari atque incitare satagebant , ut Constantinus Laodicea , Joannes Ægyptius , Petrus , Theodosius , & Anthimus : pauci quidam Episcopi in quodam castro sub custodia publica detenti , tuendæ religionis studio permoti , per manus impositionem ordinarunt Jacobum , virum simplicem , Constantinopoli per eos dies commorantem . Is Presbyter erat in Monasterio Phasilia ex Gamua pago in Monte Izla , quem & œcumenicum Metropolitanam ordinarunt . Ea dignitate auctus Jacobus , ubique aderat , opere & sermone paratus . Erat porro vir inops , pauper , laboris patientissimus , pedum celeritate adeo pollens , ut alterum Asaelem putares : cepit itaque postas ad Orientem regiones lustrare , & orthodoxis sacros Ordines ubique conferre , & Clericos instituere , sub mendici specie letens . . . . nalli erant ea tempestate in Oriente Episcopi orthodoxi , ut præter Marim Sigaæ Episcopum , neminem haberent , qui Sacerdotes ordinaret , donec surrexit Jacobus , cujus opera , Sacerdotum census mirum in modum auctus est : eamque ob causam ex ejusdem nomine , Jacobita sunt nuncupati . Obiit in Cœnobio Romani , quod in Ægypti finibus situm est , die 30. Julii anno Græc. 889. Christi 578. quum Episcopatum gessisset annos 33. & ordinasset Episcopos , Presbyteros , & Diaconos ad centum millia , ut ait Barbraeus : cujus verba recitata sunt Tom. 2. Biblioth. Orient. pag. 332. Nicephorus lib. 18. cap. 52. Jacobita sunt nominati , propterea quod